HUGO DE SANCTO VICTORE
Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 54v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ducentes. i. pie & iuste docentes uiuere. & adrectam uitatis uiam. exer-
rore & uita inmunda reducentes. hoc est docentes recte credere.
ut et fides illorum esset recta. & uita munda. Aut etiam reuelantes
sacros ordines mysteriorum super mundialium. i. secretorum celestium. de uita
scilicet beata. & celestis patrie gaudiis. & inuisibili beatorum spirituum ordi-
natione. qualiter omnes in uno bono felices sint. non tamen coequales. & quod
superiores sine superbia prelati sint. et inferiores sine miseria subiecti.
aut ordines sacros mysteriorum super mundialium. i. secretorum diuinorum re-
uelantes. qualiter scilicet uisibiliter & temporaliter ab hominibus impleri opor-
tet. quod deus inuisibili & dispensatione secreta agendo disposuit.
Aut etiam reuelantes occultas aliquas uisiones. de preteritis. siue
presentibus. siue futuris aliquid significantes. Aut reuelantes diui-
nas quasdam ante predicationes prophetice factas. i. predicationes diui-
nas. in quibus aliquid ante quam fieret prophetice predicebatur reuelantes.
ut his uidelicet qui dixerunt cognitionem futurorum. uel his qui audierunt. intel-
ligentiam dictorum ministrantes. & in his omnibus sanctos uiros siue
adrectam fidem. siue ad bonam operationem instruendo. ad diuinam
cognitionem et participationem reducentes. Sequitur. Si autem quis
dixerit. & inde inmediate fuisse quibusdam sanctorum theophanias.
discat et hoc sapienter ex sanctissimis eloquiis. quomodo hoc quidem quod est
dei occultum. nemo uidit. neque uidebit. Si quis inquit. contra hoc quod dixi
diuinas reuelationes. per angelos ad hominum cognitionem ue-
nire. dixerit etiam angelis non mediantibus non nunquam. quosdam sanctorum patrum
ab ipsa diuinitate reuelationes accepisse. discat ex sanctissi-
mis eloquiis. hoc quod ipsum dei occultum. nemo uidit. neque uidebit.
Si igitur quis. hoc est aliquis dixerit. inde. i. a secreto diuino fuisse scilicet fac-
tas. quibus sanctorum theophanias. i. diuinas apparitiones. inmediate
hoc est primo loco in ipsos descendentes. nulla alia creatura medi-